



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Evagatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

cunctis de elect.

3 No r. secundum gloss. in dict. clem. generalem, quod si annus significatur in ablativo, ut dicendo in anno. 2 §. quis possit fieri sacerdos, requirit tantum inceptionem, si verò significatur in genitivo, ut dicendo sit 14. annorum qui vult profiteri, requirit cōplementum. Et hac regula intelliges, annos in iure quando debent esse cōpleti, & quādo tantum inchoati. vide Tabu. ibi. §. 1. Idē dicit Ioan. de lig. in dicta cle. generalē. & Barr. in l. si cui. ff. de leg. 1. dicens quod si proferatur in ablativo cum præpositione in, sufficit inchoasse. si verò sine, requiritur quod sit completum. Sil. ibi. q. 2. §. 1.

EVAGATIO.

EVAGATIO mentis peccatum est: quia à ratione declarat. Si munda sit veniale est, si ad illicitas materias declinat, iudicanda est iuxta regulas talium peccatorum, & hoc secundum se. Si autem adiungatur missæ, vel orationi, vel alijs, quæ requirunt attentionem, aliud iudicandum est, propter irreuerentiam, vel iniuriam annexam, secundum Caieta. ibi, in summa. Et tunc peccatum mortale est, cū per eam fit contra aliquod præceptum, ut cū persolvens officium, ad quod tenetur ex præcepto, vagatur mente ex proposito. vide infra, Horæ canonicæ. §. 9. 20.

EVANGELIVM.

EVANGELIVM audiendū est in missa non sedendo, nec genu flexo, sed stando, capite discoperto, quod ad viros tantum, ut præcipitur in ca. apostolica. de con. d. 1. non tamen obligat ad mortale. Evangelium super se portare sine aliqua superstitione, ponendo spem non in verbis scriptis, sed in Deo, est licitum, & eodem modo alias orationes, & dicit. Sanct. Tho. Rom. l. 6. coll. 1. in fin. quod verba euangelij scripta, habent veritatem salutiferam sicut Barnabas curabat infirmos. per illud secunda secundæ q. 96. ar. 4. infra, Reliquiæ. §. 4. Postquam prædicatum fuerit Evangelium in toto orbe, secundum Aug. ad Esitium, mundi

consummatio adueniet.

EVCHARISTIA.

EVCHARISTIA, quod sonat bona gratia, id est sacramentum altaris, ex pane, & vino conficitur, secundum Th. 3. par. q. 73. a. 1. pane scilicet triticeo, & vino vitis. ibi. a. 3. non ex pane ordeaceo, vel ex lolio, vel milio: quia non sunt eiusdem speciei cum frumento, secundum Thomam in. 4. sententiar. & in 3. parte, supra. Albe. vult quod ex frumento, spelta, farre, siligine, possit fieri: quia dicit esse species sub genere frumenti contentas. Pet. autem de pal. in 4. sententiar. dist. 17. quæst. 1. a. 4. in 2. concl. dicit, quod far & spelta, quæ generantur ex tritico, sunt eiusdem speciei: idē ex ipso potest cōfici, & dicit quod in quibusdam locis ex hoc conficitur. Ric. verò & Seo. dicunt in nullo istorum posse confici, sed in solo frumento. Arc. flo. 3. par. titul. 13. canon. 6. §. 1. dicit hoc esse incertum. Thom. autem 3. par. quæst. 74. a. 3. ad 2. dicit quod si ali- quod granum ex frumento generari potest, sicut ex tritico generatur siligo, ex eo confici potest, nō autem ex spelta, farre, ordeo, & alijs, & hoc tene.

2 ADMIXTIO alterius grani cum frumento si est modica, non variat speciem, idē in ea potest confici, secus quando est multa, æqualis, vel in plus, secundum Thom. supra, & communiter doctores: idē in eo non debent confici.

3 Ex pane totaliter corrupto, non potest confici, secus quādo est in via corruptionis: quia saluatur species panis licet peccet sacerdos in tali consecrando propter irreuerentiam, secundum Thom. cum alijs. Neque cum amido, secundum Thom. & Seo. quia sit ex tritico corrupto. Quidam tamen contrarium tenent, sed quia incertum est hoc esse verum panem, taliter volens conficere, exponeret se periculo, & sic male faceret.

4 Ex pasta cruda non potest confici, secundum Thom. supra, & Scotum: quia pasta panis non est. Si autem coquatur, erit panis: non cōsuetum homini-